PRECES IN USUM ANTIQUÆ & celebris Scholæ juxta D. *Pauli* apud *Londinates*.

LONDINI,
Excudebat *G.B.* & *R.W.*
ſumptibus *Edwardi Powel* ibidem
Capellani. 1642.

39-814

PRECES MATUTINÆ, CUM AD STUDIA CONVENIUNT PUERI.

Versiculi.

Capellanus. Audemus corde & ore Dominum: *Chorus.* Laudemius nomen Domini.

Cap. Qui noctis tenebras dispulit.

Cho. Qui lucem mundo reddidit.

Cap. Oremus.

Cap. PAter noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimitti-

mus debitoribus noſtris : Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo: Quia tuum eſt regnum, potentia & gloria in ſæcula ſæculorum. *Cho.* Amen.

Oratio, Pro Regiâ Majeſtate, die Lunæ.

Cap. OMnipotens Deus, cuius regnum eſt æternum, & potentia infinita, miſerere univerſæ Eccleſiæ, & ſic dirige cor electi famuli tui *Caroli* Regis noſtri ut & ipſe tuo præſidio ab omni inimicorum & vi & inſidiis tutus, cognoſcat ſe eſſe ſervum tuum, & ante omnia quærat gloriam & honorem tuum ; & ut nos ei ſubiecti, agnoſcentes (uti decet) eum a te habere imperium, fideliter ei nos ſubmittamus, eum honoremus, & obſequamur ipſi in te, & propter te, iuxta præceptum tuum, per *Jeſum Chriſtum* Dominum noſtrum. *Cho.* Amen.

Oratio pro Republicæ præfectis in genere. die Martis.

Cap. OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſolus ſpaientiam homini infundis, largire (quæſumus) ſpiritum gratiæ tuæ ſeruis tuis omnibus & ſingulis, qui

qui Regiam Maieſtatem prudenti conſilio adiuvant; qui Eccleſiæ tuæ fideliter præſunt; qui rempublicam vel generis nobilitate vel Principis delectu, diligenti præfecturâ adminiſtrant; reliquíſque huius Regni ſubditis univerſis, ut ſuam quiſque vocationem ſtudiosè perſequentes, tuæ gloriæ bonóque communi, cum omni obſequio poſſint deſervire. *Cho.* Amen.

Gratiarum actio pro ſcholæ Paulinæ Fundatore. Die Mercurii.

Cap. ÆTerne Deus, à quo ſolo omne bonum conſilium, omnis bona cogitatio procedit; qui pio famulo tuo, optimo Fundatori noſtro, *Johanni Coleto* bonam mentem inſpirâſti, ut ſcholam hanc in uſum Eccleſiæ tuæ, utilitatem regni Anglicani, noſtræque ætatis inſtitutionem literariam, magno ſumptu ſuo extruendam, ampliſſimíſque ſtipendiis perpetuandam curaret; Maieſtatem tuam ſuppliciter oramus, ut bonam etiam mentem nobis pueris inſtilles, qui ſine gratiâ tuâ à viâ, & vero inſolenter aberramus; ut cum omni diligentiâ eò contendamus, quò bonus ille noſter Fundator nos voluit pervenire; ut bene, pieque eruditi, gra-

tias tibi perpetuas agamus, qui talem nobis Fundatorem tam misericorditer excitâsti, útque Ecclesiæ tuæ, cummuníque Reipublicæ tandem aliquando utiles evadamus. *Cho.* Amen.

Pro Scholæ Paulinæ procuratoribus. die Jovis.

Cap. CLementissime Pater cœlestis, qui cœlum & terram quæque in eis sunt omnia summa sapientiâ condidisti, paríque prudentiâ eadem conservas, concede, quæ sumus, hujus Scholæ procuratrici Merc erorum societati, ut quemadmodum prudentissimus ille Scholæ hujus fundator, *Johannes Coletus*, Scholam hanc suam illorum fidei tuendam fulciendámque commisit; ita fideliter eam tueantur, & curent, ejusque bono diligenter prospiciant: ut & ipsi bonæ conscientiæ testimonio freti, fidem suam defuncto Fundatori constanter exolvant; & nos, nostríque similes, eorum curâ, prudentiáque bene instituti, ut hodie, sic perpetuò etiam pro illorum incolumitate preces apud Majestatem tuam supplices effundamus, ut & hujus vitæ curriculum honestè conficiant, & mortui æternæ felicitatis possessionem

ſeſſionem aſſequantur, per *Jeſum Chriſtum* Dominum noſtrum. *Cho.* Amen.

Pro parentibus, præceptoribus & omicis. die Veneris.

Cap. ÆTerne Deus, & Pater Domini ac Servatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, qui parentes nobis, præceptores, amicóſque conceſſiſti, ut noſtræ ætati res neceſſarias ſubminiſtrarent, eam in bonis literis ac diſciplinis educarent, conſilio denique & monitis errantem, in viam revocarent: Majeſtatem tuam ſuppliciter oramus, pro parentibus filii obſequentes, pro præceptoribus diſcipuli officioſi, pro amicis pueri ingenui; ut eos omnes tuâ miſericordiâ digneris, quò & præceptores literarii ſuo erga te in nobis erudiendis officio defungantur; parentes noſtri præceptorum diligentiæ in nobis educandis pari ſtudio reſpondeant; amici noſtri pro facultate ſuâ noſtræ infirmitati conſulant: ut quum reddenda erit illis noſtræ educationis correctioníſque ratio, fidenter poſſint eorum tribunali Salvatoris, ac Judicis noſtri *Jeſu Chriſti* comparere. *Cho.* Amen.

Pro puerorum in ſtudiis pio progreſſu.
Precatio quotidiana.

Cap. DOmine pater, cœli ac terræ effector, qui liberaliter tribuis ſapientiam omnibus eam a te cum fiduciâ petentibus, exorna (quæſumus) ingeniorum noſtrorum bonitatem, quam cum cæteris naturæ viribus nobis infudiſti, lumine divinæ gratiæ tuæ; ut non modò quæ ad cognoſcendum te, & Salvatorem noſtrum Dominum *Jeſum* valeant, intelligamus; ſed etiam totâ mente, & voluntate perſequamur, & indies benignitate tuâ, tum doctrinâ, tum pietate proficiamus: ut qui efficis omnia in omnibus, in nobis reſplendeſcere dona tua facias, ad gloriam ſempiternam immortalis Majeſtatis tuæ. *Cho.* Amen.

Verſiculus.

Cap. DIrige Domine curſum ſtudiorum noſtrorum.

Ch. Ut in eo ſoli tibi toti pareamus. Amen.

Cap. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Cho. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

PRE-

PRECES ANTEMERIDIANÆ, CUM MATUTINA ſtudia intermittuntur.

Verſiculi.

Capellanus. MAgnificate Dominum mecum.

Cho. Sit ſemper laus ejus in ore noſtro.

Cap. Sit nomen Domini benedictum.

Cho. Qui vivit omnipotens in æternum.

Symbolum Apoſtolorum die Mercurii repetendum.

Cap. CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ; & in *Jeſum Chriſtum* Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt per Spiritum Sanctum, natus ex *Maria* Virgine, paſſus ſub *Pontio Pilato*, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Deſcendit ad inferos. Tertio die reſurrexit à mortuis: Aſcendit ad cœlos: Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt judicare

judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum; sanctam Ecclesiam Catholicam; sanctorum communionem; remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam. *Cho.* Amen.

Decem mandata Dei die Veneris repetenda.

Exod. 20.

Cap. LOcutus est Dominus omnes sermones hos. 1. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servorum. Non erunt tibi Dii alieni coram me. 2. Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum, neq; eorum quæ in terrâ deorsum, neq; eorum quæ in aquis subter terrâ. Non incurvabis te eis, neque coles ea. Ego enim Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum super filiis in tertiam & quartam generationem odio habentibus me, & faciens miserecordiam millibus diligentibus me, & custodientibus præcepta mea. 3. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Non enim insontem habebit Dominus eum qui assumpserit nomen ejus in vauum. 4. Memento diei Sabbati ut sanctifices illum: sex diebus opera-

operaberis, & facies omne opus. At dies ſeptimus Sabbatum erit Domini Deo tuo. Non facies omne opus neq; tu, neq; filius tuus, neq; filia tua, neque ſervus tuus, neqne oncilla tua, neque jumentum tuum, neque peregrinus tuus, qui eſt in portis tuis. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare, & quecunq; in eis ſunt, & requievit die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eum. 5. Honora patrem tuum, & matrem tuum, ut prolongentur dies tui ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi. 6. Non occides. 7. Non mœchaberis. 8. Non furaberis. 9. Non reſpondebis adverſus proximum tuum teſtimonium mendarii. 10. Non concupiſces domum proximi tui, non concupiſces uxorem proximi tui, neq; ſervum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neq; aſinum eius, neq; quicquam eorum quæ ſunt proximi tui.

Cho. Domine miſerere noſtri, & hæc omnia mandata tua cordibus noſtris inſculpe, ut facimus ea. Amen.

Cap. GRatias agimus tibi, omnipotens ſempiterne Deus, cuius miſericordia

cordiâ & benignitate effectum est, ut ante-meridianum hoc tempus, in bonis studiis intenti, salvique transegerimus. Eandem tuam misericordiam flexis corporum & animorum genibus supplices precamur, ut quod supereſt temporis meridiani, necessario victui, & animorum relaxationi tribuendum, ita sobriè modestéq; peragamus, ut tuæ interim gloriæ studiosè serviamus, per *Jesum Christum* Dominum nostrum. *Cho.* Amen.

Versiculus.

Cap. ADjutorium nostrum in nomine Domini.

Cho. Qui fecit cœlum & terram. Amen.

PRECES POMERIDIANÆ,

Cùm a Prandio ad studia reditur.

Versiculus.

Cap. BEnedicamus Domino in omni tempore.

Cho. Qui ex ore parvulorum educit laudem suam.

Cap. In quem projicimur ab utero matrum nostrarum.

Cho. Qui desertos a parentibus verus pater suscipit. *Cap. Oremus.*

Cap. PAter noster, qui es in cœlis sanctificetur nomen tuum: Adveniat

regnum tuum : Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, ſic & in terrá. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris : Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo : Quia tuum eſt regnum, potentia, & gloria in ſæcula ſæculorum. *Cho.* Amen.

Cap. AUdi preces noſtras, æterna Patris ſapientia, Domine *Jeſu*, qui teneræ ætati docilitatis commodum addidiſti; ádde (quæſumus) ad naturæ propenſionem auxilium gratiæ tuæ, ut literas ac liberales diſciplinas citiùs perdiſcamus, ſed tuæ gloriæ ſervituras, quarum adminiculis adjutæ mentes noſtræ pleniùs aſſequantur cognitionem tui; quem nôſſe felicitatis humanæ ſumma eſt.: útque ad tuæ ſanctiſſimæ pueritiæ exemplum indies proficiamus ætate, ſapientiâ & gratiâ apud Deum & apud homines, qui vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. *Cho.* Amen.

Verſiculus.

Cap. DOminus ſapientiam infundit parvulis.

Cho. Dominus illos magiſtris ſuis doctiores facit. Amen.

PRE-

PRECES VESPERTINÆ, CVM Pomeridiana ſtudia intermittuntur.

Capellanus. ILlumina, Domine Deus, tenebras noſtras.

Cho. Et futuræ noctis inſidias a nobis repelle propitius.

Cap. Dominus cuſtodiat nos, & protegat nos.

Cho. Ut in pace ipſius dormientes requieſcamus.

Cap. GRatias tibi agimus, omnipotens ſempiterne Deus, qui pro infinitâ bonitate tuâ, nos indignos ſervos tuos dignatus es hoc die ab hoſtium noſtrorum tam corporis, quàm animi inſidiis ſalvos, & incolumes cuſtodire. Téq; precamur, ut quicquid hodie, cogitando, loquendo, faciendo contra præcepta mandatáque tua deliquimus, id totum nobis ex paternâ benignitate tuâ remittas atque condones. Ad hæc te rogamus, & obteſtamur, ut & hanc nobis noctem velis ſalutarem eſſe, nóſque ab omni periculo corporis & animi, tua eadem bonitate, & gratiâ, clemen-

ter tueri ; ut oculi noſtri tranquillè dormiant, corpus ſecutè quieſcat, & animus ad te ſemper vigilet, ne unquam ſuggillatori Satanæ conſentiat, per *Jeſum Chriſtum* Dominum noſtrum. *Cho.* Amen.

Verſiculus.

Cap. MAgnificemus Dominum, quia bonus Dominus ;

Cho. Quia in ſæculum miſericordia eius. Amen.

Cap. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Cho. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

SI QUANDO IBITUR LUSUM, vel citiùs intermittentur ſtudia.

Verſiculi.

Cap. GRatias agimus Domino Deo noſtro.

Cho. Qui noſtræ ſaluti tam clementer conſulit,

Cap. Qui feſſa labore corpora quiete refecit.

Cho.

Cho. Qui lassos literis animos lusu reparat.

Cap. ÆTerne Deus, qui ita hominem ad laborem condidisti, ut & quietem illi concederes, ne perpetuo laborum tædio conficeretur: concede (quæsumus) clementissime pater, nobis pueris, quibus permittitur, ut reliquum hujus diei tempus animorum relaxationi post studiorum tædia tribuamus: & ita nos in lusu modeste gerere, ne quicquam admittamus, quo Majestas tua lædatur; quo parentes, præceptoresque nostri commoveantur; quo vicini, spectatoresq; nos insolentiæ accusent: sed ita animos relaxemus à studiis, ita corpora nostra salutariter exerceamus, ut & animo & corpore te glorificemus, dum tuo præsidio ab omni discrimine tuti evadimus per *Jesum Christum* Dominum nostrum. *Cho.* Amen.

Versiculus.

Cap. QUi parvulos ad se invitat.

Cho. Venientibus ad se benedicit Dominus. Amen.

FINIS.

UNIVERSITY
RARY
AMBRIDGE